



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Practica Octaviani Vestrii I. C. Foro Corneliensis

Vestri, Ottaviano

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 V 940

De reuerendissimo Camerario, septem clericis, eorumq[ue] rescriptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63002)

De Reuerendissimo Camerario, septem clericis
eorumq; rescriptis.

CAP. XI.

SUMMARIVM.

- 1 Officium camerarij, siue cameralis audientia, qua negotia complectatur.
- 2 Camerarius rescribit de mandato Pont. viua vocis oraculo sibi dato, & hac in re ei creditur.
- 3 Rescriptorum formula in camerali audientia, epistolaris est, Quorum duplex est expeditio.

Hic camerali audientiae hodie praesunt Reuerendissimus Gui. Asc. Sfortia Cardinalis eius nominis de sancta Flora diui Pauli nepos, iuuenis castigatissimi ingenij, cuius meo prognostico, maior erit exitus, quam fuit expectatio, Ioannes à Casa Florentinus Archiepiscopus Beneuentanus, Hieronymus Saulus Archiepiscopus Beneuentanus, Hieronymus Saulus Archiepiscopus Barenfis. Iulius Gongaza regulus de Nouellaria, Petrus Lippomanus Veneris Episcopus Veronensis, Alexander Campesius Episcopus Bononiensis, Hieronymus Fufcharus Veneris, & Franciscus Soderinus Florentinus. Soletque * Reuerendissim. Camerarius ex horum voto seu decreto, & quandoque etiam à seipso ad iudices de iure rescribere, utpote de omnibus prophanis rebus ad magistratus in statu S.R.E. temporali: extra verò de solutionibus decimarum, de fructibus beneficiorum, de spolijs clericorum defunctorum, alijsque rebus Cameram apostolicam tangentibus. Rescribit * autem semper sub assertionem, quòd de mandato Pont.

Pont. viuz vocis oraculo sibi dato: crediturque in hoc suæ assertioni; tanquam sit de spectantibus ad officium suum. Formula * rescriptorum epistolaris est, & vulgò literæ camerales vocantur. Quarum duplex est expeditio. Aliæ enim ob signatæ & clausæ, Aliæ verò patentes & apertæ sub sigillo Camerarij supplicibus dantur.

*De Thesaurario, seu magistro sacri Aerarij
eiusq; officio.*

C A P. III.

S V M M A R I V M.

- 1 Thesaurarius cur sic appelletur.
- 2 Aerarium & fiscus differunt, & qua sit differentia.
- 3 Publica non sunt principis iure proprietatis, sed administrationis.
- 4 Quaestorum origo, deq; eorum officio.
- 5 Thesaurarius equiparatur urbano Quaestori.

Post Reuerendiss. Camerarium, primus est ratione officij, is, qui a Aerario præest, quem * ideò Thesaurarium vocamus, quòd apud ipsum æs omne, quod in Camera apostolica intrat, recondatur & reponatur: cuius munus tantum est, æs Camera Apostolicæ recipere, custodire, & ubi opus est erogare. Consuevit tamen à certis annis deputari mercator aliquis insignis, qui de mandato Thesaurarij æs recipit & soluit.

E 2

ANNO.